

DISPUTATIONUM ETHICARUM
NONA
DE

II c
264

Amicitiae Natura

ac speciebus per se &
cum civili societate
comparatis,

è lib. 8. ἠθικῶν Νικομαχείων,

QUAM,
JEHOVAH PRÆSIDE,
In Illustri LIPSIENSI Academia,
sub moderamine

M. A N D R E Æ B A U E R
C I Z E N S I S

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE

tuebitur
HIERONYMUS COLBERGUS
Zittaviensis Lusatus.


Ad d. 3. Augusti horis & loco solitis.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

L I P S I Æ,
Describebatur apud Laurentium Cober.

ANNO M.DC. XVI.





V I R I S

*Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis,
pietate, sapientiâ, doctrinâ, virtute & autoritate
prestantissimis,*

**Dn. GREGORIO VVALTHE-
RO, p. t. inclytæ Reipub. ZITTA VIEN-
SIS, PATRIÆ carissimæ, Con-
suli vigilantissimo.**

Dn. SIGISMUNDO KINDLERO,
eiusdem Reip. Syndico fidelissimo,

Dn. JOHANNI FRIDERICO,
Pædagogii ibidem Inspectori clarissimo,
*Dn. Fautoribus & Augustis suis singulariter
benignis,*

Hoc γόγυρασμα Ethicum

*Candidè & benevolè legendum,
demissè, observanter,
officiosè*

dedicat
offert

**Hieronimus Colbergus Zitta-
viensis Lusatus,
Respondens.**



PROOEMIUM.



*N*gens ac penè ineffabilis veræ ac perfectæ amicitia in vita hominum est utilitas: Omnium quippe rerum est vinculum, ab amore affabrè factum, quod corpore sejunctos, animo conjunctos retinet.

Unde non invenustè Casiodoro nuncupatur vitæ condimentum, sine quo omnis cogitatio tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum est. Ac licet virtutis nomenclaturam minimè mereatur, tam arcto tamen necessitudinis nodo est colligata, ut illâ sine virtus consistere minimè omnium possit. Iccircò cum speciosum tam moralium quàm Intellectualium virtutum chorum, pro ratione instituti nostri, contemplati simus; Restat nunc etiam Amicitiam, quæ uberrimus virtutum fructus Piccolomineo dicitur, paucis perlustremus.

JEHOVAH fave conatibus nostris.

THESIS I.



*N*E in primo statim limine ὁμωνυμία nobis imponat, tenendum est, nos hîc non eam amicitiam intelligere, ὁμωνυμία explicatio. quæ in rebus inanimatis deprehenditur, & συμπάθεια dicitur, quæ nihil aliud est è Scaligeri sententia, quàm communis affe- Ex. 344 f. 2.



Ratio duabus aut pluribus rebus, idq; vel manifestè diversis, ut pax & electro; vel qualitatibus haud latentibus, ut ferro & Herculeo lapidi; vel undequaq; apparentibus, ut inter duas fiduculas æquè tensas: *sed eam, quæ pressius magisq; propriè sumta, cum ratione juncta est, soli q; competit homini. c. 1.*

Doctrina de
amicitia est
consideratio-
nis Ethicæ.

Ratio 1.

2.

3.

4.

II. Huius verò doctrinam à morali disciplina non esse alienam, exinde constat, 1. quia in censu rerum honestarum collocanda, cum φίλοφιλοι commendentur. 2. Virtuti cognata, cum gaudeat mediocritate: ad viros bonos propriè spectet; eius usus in tota vita sit amplissimus: justiciæ respectum in officiorum & beneficiorum commutatione teneat.

III. 3. Magnum habet momentum ad vitam benè beateq; transigendam. Nam ut vita beata: ita etiam amicitia est secundum naturam, quæ consistit in corporum ac animorum conjunctione. Unde homo animal ζῷον πολιτικόν dicitur.

IV. 4. In omni deniq; vita est necessaria: 1. divitibus, opibus & imperio florentibus, τὴν πρὸς χεῖρην ad usum, τὴν πρὸς φυλακὴν ad custodiam suorum bonorum. 2. pauperibus: quia in paupertate & reliquis infortuniis amicus est μόνον παταφυγὴν unicum refugium. 3. Juvenibus πρὸς τὸ ἀναμάρτητον ad informationem, ne peccent. 4. Senibus, πρὸς τὴν θεραπείαν καὶ τὴν ἐλλείπον τῆς πράξεως δι' ἀδένειαν βοηθείας ad remedium & supplementum actionis, propter subsidii imbecillitatem. 5. Viris τοῖς ἐν ἀκμῇ in florida ætate constitutis, πρὸς τὰς πράξεις ad honestas actiones. 6. Civitatibus accommodata, cum Rerumpub. constitutio & conservatio in amicitia consistat, quandoquidem major amicitiae & concordiae, quàm justiciæ ratio à Legumlatoribus habeatur.

V. Unde constat, quàm merito hic de amicitia agatur: Nunc partim quæ sit aliorum, partim quæ ipsius philosophi sit sententia de hac doctrina, considerabimus.

Veterum opi-
niones de A-
micitia.

VI. Existimant nonnulli, amicitiam esse ὁμοιωτητα similitudinem quandam, & amicos esse similes: unde natum est proverbium: similem ducit Deus ad similem: alij volunt esse dissimilitudinem & similitudinem odii potius causam esse, juxta illud: Figulus odit figulum: alij tantum inter viros bonos amicitiam consistere posse autumant: nonnulli deniq; unam tantum amicitiae speciem constituunt, quæ magis & minus reciperet.

VII. In

ri inferre possit. 3. facile dissoluitur. Sublatâ enim utilitate, ipsa etiam amicitia concidit.

2. Jucunda, & est inter Juvenes.

XIV. JUCUNDA maximè est inter juvenes, qui turbulenti fetè motibus animi ducuntur, & voluptates maximè persequuntur. Sed hæc est & valdè mutabilis. 1. quia juvenilis animus quovis euripo mutabilior. 2. quia voluptas illa, quam juvenes sequuntur, est momentanea. 3. quia varietate affectuum nunc huc, nunc illuc fluctuant.

3. Honesta. I. est Perfecta.

XV. HONESTA verò Amicitia est: I. PERFECTA, 1. quia à viris bonis contrahitur, inter quos absq; voluptatis & commoditatis respectu purus est & mutuus amor. 2. quia ex virtute, quæ est stabilis, oritur. 3. quia continet in se omnia bona. 4. quia non dat locum calumniis, injuriis & suspicionibus, ut reliquæ: Amicus enim est ALTER EGO: Jam verò nemo sibi ipsi injuriam, si sanus sit, infert: II. est RARA, 1. quia rari & pauci sunt viri boni. 2. quia multum temporis requiritur: dum nemo in eam recipitur, nisi cum quo medium salis quis absumpserit, h. e. quem longâ consuetudine cognoverit.

2. Rara.

Honesta convenit cum utili & jucunda.

XVI. Utilis tamen & Jucunda Amicitia stabiles etiam sunt & firmæ. 1. diâ τῶν ἰσότητων, si utrinq; officiorum & beneficiorum est compensatio. 2. diâ τῶν ὁμοιωμάτων, si ex diuturna conversatione morum nata est similitudo.

Differunt.

1.

XVII. Differunt verò 1. ratione subjecti: Honestam enim amicitiam tantum viri boni contrahunt: utilem cum boni, tum improbi. 2. formâ; In honesta locum habet fides, candor, justitia, estq; inculpata: in utili verò & jucunda, calumniæ, suspensiones & injuriæ. 3. In honesta amicitia semper utilitas est cum honestate conjuncta: in reliquis verò rarissimè. Ex isto enim genere homines non pauci inveniuntur, qui utiles & jucundi simul esse possunt. 4. Honesta primaria ratione per se & simpliciter amicitia dicitur: utilis verò & jucunda seu per similitudinem tantum, quædam talis appellatur. Non enim tam se mutuò amant, quam utilitatem respiciunt.

2.

3.

4.

Absentes etiam se mutuò possunt amare.

XVIII. Sicut autem viri boni; ita & amici sunt alij tantum: alij autem simul. Illi sunt, qui locis disjuncti, mutuis quidem officiis non utuntur, ita tamen sunt affecti, ut datâ benè merendi occasione, cupidè id ipsum facturi sint: Isti verò non

non tantum mutuo se convictu oblectant, sed & bona sua invicem communicant, c. 5.

XIX. *Neutro autem modo sese habent Senes, atq; austeriores propter δυσκολίαν: quiq; diutius seiuncti sunt. Absentia enim ipsius quoq; amicitia oblivionem inducere potest. Unde illud: πολλὰς φιλίας ἀπεσθηγορία διέλυσεν, multas amicitias dissolvit silentium.*

XX. *Differunt etiam φιλίαι amor, καὶ φιλία amicitia: quia Amor est similis πάθος affectui, quia est ἀνω παρὰ εὐστροφίας & non requirit ἀντιφίλησιν, siquidem etiam est erga τὰ ἀψυχα: Amicitia φιλία. verò est similis ἐξῆς habitui, quia καὶ παρὰ εὐστροφίας, quæ ab habitu oritur: & ii, qui cum electione amant, etiam redamant.*

XXI. *De numero amicorum si quaeratur, sciendum est, quod honesta amicitia inter plures consistere nequit. 1. quia hic maximus requiritur amor, quo multos prosequi non possumus. 2. indiget longâ conversatione, ut mores cuiusq; explorentur: plures verò hoc modo nosse & explorare est difficile. 3. quia veri amici semper sibi ipsis placere student: pluribus autem simul placere, est difficile. Utilis autem & jucunda inter plures facile constat. 1. quia unus & idem propter utilitatem & jucunditatem multis placere potest. 2. quia hæ amicitia non adeò diuturnam requirunt consuetudinem, sed brevi tempore, oblatâ scilicet utilitate vel jucunditate contrahi possunt. c. 6.*

XXII. *Ad veram autem amicitia naturam propius accedit Jucunda, quam Utilis. 1. quia liberalior est in juvenes ut plurimum, non improbos cadens. Utilis contra sordida, mercatorum, avarorum, & tristium senum possessio. 2. etiam felices jucundos amicos requirunt, ut absq; omni voluptatis spe, ne cum ipso αὐτοαγαθῶν quispiam conversetur.*

XXIII. *Huiusmodi amicis cum alijs, tum imprimis Principes, Generosi, Nobiles, utuntur: his ut in ocio delectent, & tempus fallant; illis, ut in negotio profint, sive consulendo, sive imperata faciendo; ut tum demum viri boni principum amici reperiantur, cum illorum virtus, horum potentia, proportionem aliqua respondeat.*

XXIV. *Hinc oritur illa amicitia divisio, quod alia sit ἐν ἰσότητι, quæ æqualis dicitur, cum amici proportionem Arithmetica sint æquales in iis bonis, quæ sibi mutuo præstant: alia verò ἐν ἀνισότητι καὶ ὑπορχῆ, quæ est inæqualis, quam Aristoteles κατ' ὑπορχῆν φιλίαν nuncupat, quorum alter dignitate, ætate, vitæ conditione, aut alijs bonis ante-*

Differunt φιλίαι καὶ φιλία.
An honesta amicitia inter plures consistere possit?
N. 1.
2.
3.

Jucunda est similior honesta amicitia, quam utilis.

Alia amicitie divisio.
1. ἐν ἰσότητι.
2. ἐν ἀνισότητι.



antecellit, cuius modi est amicitia inter principem & subditos : inter parentes & liberos : inter dominum & servum : inter maritum & uxorem : inter Senem & juvenem : inter divitem & pauperem. c.7.

Queritur.
1.

XXV. *Sed queritur primò: An ista istòτης equalitas eadem cense-
ri debeat, quæ est in iustitia?* Respondetur, multum inter se dif-
ferre: Nam in iustitia dominatur *πρώτως* proportio Geometri-
ca, quæ καὶ ἀξίαν secundum dignitatem: *δευτέρως* autem Arith-
metica, τὸ ποσὸν pro quantitate distribuit: in amicitia autem
Arithmetica, proportio obtinet principatum, quæ καὶ τὸ ποσὸν
pro quantitate distribuit: *δευτέρως* verò Geometrica, quæ καὶ ἀξί-
αν pro dignitate.

2.

XXVI. *SECUNDò: cum de benevolentia summo gra-
du instituat quæstio, sciendum est, non bona, quæ naturam hu-
manam penitus excedunt, aut quibus in aliam naturam mute-
tur, sed quibus ornetur & perficiatur, amico esse optanda: atque
ita, ut non minimam partem sibi amicus reservari postulet.*

3.

XXVII. *TERTIò: illud etiam queri solet: An amicitia con-
sistat magis ἐν τῷ φιλεῖν in amore, seu in actione amoris, quàm ἐν τῷ
φιλεῖσθαι in amore ac passione eiusdem?* Vulgus quidem ob natu-
ralem φιλοτιμίαν magis amari vult, quàm amare: sed eorum, qui
contrarium statuunt, veriore esse sententiam, probatur exemplo
matrum, quæ ardentissimo amore liberos prosequuntur parum
solicita, sive ab illis redamentur, sive non. c.8.

XXVIII. *Latè autem sumto amicitia vocabulo, Amici dicē
possunt, quicumq; se mutuò ob quodvis φιλητὸν amant: sive probi, ob vir-
tutem: sive improbi, ob vitia: sive alij voluptate & utilitate ca-
pti: ut pauper divitem, ob divitias: dives pauperem, ob ope-
ram: deniq; indigentia motus abundantem eo, quo quisq; eger,
amat.*

XXIX. *Idem in amicitia jucunda locum habet, ut cum deformis
formosum, ob formam, amat, ab eodem redametur eruditionis
gratia: ex qua indigentia sæpè evenit, ut amatores se deri-
dendos propinent, dum ἀντιφίλησιν mutuuum amorem requi-
runt, qui perinde ut amentur, digni non sunt: non enim nisi καὶ
συμβεβηκὸς in contrarium fertur appetitus; καθ' αὐτὸ per se me-
dium appetit.*

XXX. Præ-

XXX. Præterea amicitiam in societate consistere, exinde docetur: 1. quia in societate quoque consistit virtus, atque ita idem cum jure subiectum habet amicitia. 2. quia omnes familiari societate aliis cōjuncti dicuntur amici. Societas autem huiusmodi intelligitur, in qua est communicatio officiorum & bonorum. Unde natum est proverbium; κοινὰ τὰ φίλων: amicorum bona communia.

Amicitia consistit in societate. 1. 2.

XXXI. Quæ tamen communio apud omnes non est eadem: quibusdam enim omnia sunt communia, veluti in societate fraternæ, & εταιρικῆς sodalitia: quibusdam verò aliqua sunt communia, eaq; vel plura, ut inter civis eiusdem civitatis, veluti: jura, leges, sacra & alia; vel pauca, ut inter mercatores.

Communio in omnibus societatibus non est eadem:

XXXII. Sed hæc societas refertur ad politicam, cuius membra sunt amici: ut enim si singulis hisce vel cultus DEI, vel jucunditas, vel aliud etiam commodum est propositum: ita societas civilis hæc omnia præstat; siquidem omnis generis voluptates & commoda simul procurat, dum conventus etiam solennes in Numinis divini honorem, quibus interesse licet, instituit.

XXXIII. Cum verò amicitia pro iure societatum varietur, societatum formæ diversæ erunt evolvendæ: estq; societas vel politica, vel œconomica: & utraq; rursus varia. 10. C.

Societas.

XXXIV. Politica vel est Bona vel mala: Bona in tres quasi ramos diffusa est: 1. in βασιλείαν vel μοναρχίαν Regnum seu Regiam gubernationem, in qua est summa potestas penes unum, qui secundum leges imperat ad subditorum salutem, ut Romæ fuerunt Reges: 2. in ἀριστοκρατίαν in optimatum principatum, in quo scilicet Remp gubernant illi, qui cæteris virtute & consilio sunt præstantiores. 3. In τιμοκρατίαν censualem potestatem, in qua præsent illi, qui censu & opibus excellunt: quæ postrema species vulgò πολιτεία civilis: Platoni τιμαρχία: Xenophoni πλειτοκρατία nuncupatur.

1. Politica, que vel Bona & informas tres dividitur. 1. in βασιλείαν 2. in ἀριστοκρατίαν. 3. in τιμοκρατίαν.

XXXV. MALA totidem oppositis partibus constat: suntq; 1. ἡ τυραννίς, quando is, qui in monarchia, rerum communi salute neglectâ, τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ suam tantum utilitatem sectatur, nec secundum leges; sed pro voluntate & libidine imperium habet. 2. ἡ ὀλιγαρχία, paucorum potestas; in qua potestas est penes paucos, qui vel ob potentiam, vel divitias, vel gratiam, vel aliis de causis dominium nacti sunt. 3. ἡ δημοκρατία populi

vel Mala, que est 1. τυραννίς. 2. ὀλιγαρχία. 3. δημοκρατία.

B

publi

puli potentia, quando cuius ad gubernacula Reipub. accessus patet, propter parvam census mensuram, ut ita de summis rebus plebs & multitudo pro suo arbitrio statuat.

2. *Oeconomica* XXXVI. *Hæ species itidem conspiciuntur in domesticis societati-*
bis: Regnum quidem in imperio in liberos & familiam: *Tyrannis* in imperio herili in servos: *Aristocratia* in conjugali societate: *Oligarchia*, si vel maritus omnia solus administrare, vel uxor *ἡμίρανος* propter dotis magnitudinem, vult dominari: *Timocratia* in fraterna societate: *Democratia* deniq; in domo ἀδελφότητι *ca-*
rente domino, qui eam rectè possit administrare.

XXXVII. *Istis verò societatibus non eodem modo inest a-*
micitia. Et amicitia quidem in κοινότητι reperitur. 1. in regno,
quando Rex subditorum suorum curam gerit, in eosq; beneficia largè confert: Ipsi verò subditi regem suspiciunt, colunt, obser-
vant: 2. in paterna & avita: ubi pater filiis non modò τὸ
ἔναι vitam, sed etiam τὸ εὖ εἶναι omnia ad vitam necessaria lar-
gitur: ipsi autem majores & patres à nepotibus & filiis aman-
tur & coluntur. 3. in Aristocratia, & conjugali, pro virtutum diver-
sarum præstantia.

XXXVIII. *Amicitia verò in ἰσότητι dominatur inter sodales,*
& iis similes: 1. inter fratres, utpote ætate & conditione fe-
rè pares, ex iisdem parentibus ortos, ideoq; educatione & mori-
bis similes. 2. inter eos, qui in Timocratia vivunt, ubi vir-
tute plebeia, censu, libertate, & ex consequente, imperio æquales
coëunt.

XXXIX. *Sicut autem in bonis Rerumpub. formis amicitia qua-*
dam est: ita in vitiosis formis ac παραβάσει nihil aut parùm loci est a-
micitiæ. In Tyrannide principi cum subditis nihil omninò est
commune: nihil etiam ditioribus cum pauperibus in Oligarchia:
Tantum verò in Timocratia, ubi Juris aliquid superest, & multa
civibus sunt communia; ita non planè quoq; videtur exclusa a-
micitia, quæ est communis & χηρική, qualis est artificis, & instru-
menti in usum præparati.

XL. *Communio autem ista φιλική nulla est. 1. cum ina-*
nimis. 2. cum animatis, sed ratione destitutis: neque enim
possunt ἀντιφιλεῖν. 3. cum servis, quibus cum dominis com-
munitio non est (cùm quicquid habeant, sit dominorum, non
contra.)

XLI. *Eluces*

XLI. *Elucet hinc in omni amicitia rigere κοινωνίαν communio-*
nem, sed partim obscuriorem; ubi non apertus, sed tacitus est con-
sensus, ut in societate naturali, inter consanguineos συγγενεῖς;
partim manifestiorem, ubi pactum est apertum rerum communi-
um, ut inter φυλετικὰς καὶ συμπλοικὰς tribules & simul navigantes,
C. 12.

XLII. *Hinc talis resultat divisio: Alia amicitia est φυσικὴ Naturalis; alia acquisita. Illa rursus vel est princeps: est Naturalis, vel orta. alia acquisita.*

XLIII. *PRINCEPS est πατρικὴ inter parentes & liberos: ubi amor parentum longè ardentior, quàm liberorum; neq; immeritò. Diligunt enim suos. 1. ut aliquid sui. 2. parentes certò sciunt, hos esse suos liberos: liberi autem coguntur credere hos esse parentes. 3. Parentes diutiùs amant liberos, quàm liberi parentes. Liberi enim tum demum amare ceperunt, cum rationis usum acquisiverunt: sed tamen matres hic excellunt: nam & melius ex se natos esse sciunt, & quasi partem suam genuerunt ac nutriverunt, à conceptione statim foetum amare ceperunt. 4. In liberis immortalitatem quandam vident parentes.*

XLIV. *ORTA est συγγενικὴ, qualis est ἀδελφικὴ inter fratres, ubi amicitiae vinculum non facillè solvitur. 1. διὰ τὴν ταυτότητα, quia ex iisdem sunt nati parentibus. 2. διὰ τὴν παιδείαν: Nam simul & unà sunt educati, & iisdem ferè moribus præditi. 3. διὰ τὴν ὁμιλικίαν: fratres enim ætate ferè congruunt. 4. διὰ τὴν συντροφίαν: nam inter se consueverunt, & socii sunt. Hinc consobrinorum aliorumq; cognatorum amicitia dependet, quæ quantò propior vel remotior à primo autore, tantò arctior vel remissior esse solet.*

XLV. *In his verò requiruntur: 1. ut à liberis non modò διὰ τὸ εἶναι καὶ τεαφείναι, sed etiam διὰ τὸ εἶναι καὶ παιδεύθηναι, parentes summo honore & amore colantur, sicut DEUS ab hominibus ob summa beneficia: 2. ut fratres vehementiùs sese ament, quàm sodales: quia diutiùs convixerunt, & tam corporis temperamento, quàm animi affectionibus se magis referunt, & ex diuturna conversatione amorem citiùs probârunt.*

XLVI. *Conjugalis verò amicitia maximè est naturalis, adeoq; summa: Nemo enim magis natus est ad vitam conjugalem, quàm ad politicam; siquidem domus civitate prior est, & λεγομένη propagatione*

gatione sobolis nihil est animantibus communius. *Contrahitur tamen hæc amicitia ob alias etiam vitæ commoditates, & rerum necessariorum faciliorem acquisitionem. Non enim tantum bona sua conferunt conjuges, sed etiam mutuo labore ea amplificant, & unus alteri pro viribus inservit.*

XLVII. *Vinculum huius amicitiae, non solum sunt tria φιλιτὰ, sed potius LIBER I: συνδισμὸς γὰρ τὰ τέκνα δοκεῖ εἶναι: sunt enim commune bonum amborum: Quod verò commune est, multum habet momenti ad continendum. Unde fit, ut ἀτεκνοί, qui in sterili vivunt coniugio, & facilius dissolvantur, & minùs impensè se invicem ament.*

Ratio conservandi vel dissolvendi amicitiam. XLVIII. *Sic fuerunt Amicitiae SPECIES: Nunc cum Philosopho de ratione conservandi vel dissolvendi eandem agemus. c. 13.*

Conservatur inter pares. XLIX. *Amicitia ἐν ἰσότητι conservatur inter pares Iurè, secundum proportionem Arithmeticam, ut amando & reliquis æquantur ac pares sint: ἐν ὑπεροχῇ verò & inter impares, secundum Ius ex proportione geometrica, ut pro rata excessuum proportionem cuiq; reddatur.*

inter impares. L. *Sed præcedunt ferè ἐγκλήματα καὶ μέμψεις expostulationes & querelæ, præsertim in amicitia utili, dum scilicet alter amicorum majora officia requirens, quàm alter præstare potest, spe suâ frustratur.*

alia divisio amicitia utilis. LI. *Cum verò hæc amicitia διὰ τὸ χεῖρισμός sit, vel νομικὴ legalis, in qua compensatio fit certa lege & conditione; vel ἠθικὴ moralis, in qua fit compensatio beneficiorum more & consuetudine naturali; Illa rursus vel ἀγοραία sordida, mercaturæ similis, quæ ex tempore compensatur; ideoq; nisi fraus interveniat, criminationi minus fit obnoxia: vel aliquantò liberalior, ubi compensatio vel alicuius fidei committitur, vel in aliquod tempus benevolentiae causa differtur; & querelis tum patet, cum fides violatur.*

LII. *ἠθικὴ, quæ morum honestati & fidei, non pacto credit, spe tamen vel æqualis, vel majoris compensationis; quâ falsâ, litigio cedit: quod ut videtur, ἠθικῶς acceptum, perinde ac si νομικῶς fuisset datum, pari vel majori mensurâ rependatur, non tam amici flagitatione extortum, quàm animi promptitudine oblatum.*

LIII.



LIII. Quod si occasio beneficium reparandi non detur, verbis mora erit lenienda, vel spe certâ futuræ gratitudinis amicus demulcendus, vel confessione imbecillitatis ad condonandum inducendus.

LIV. Ut verò *justa fiat beneficiorum compensatio*, de qua alter conveniri non possit, beneficia prius sunt rectè æstimanda, non ex commodo accipientis, sed ex animo & consilio dantis. *ἡ ἀξιολογία τοῦ ἀποδότητος.* *ἡ ἀξιολογία τοῦ ἀπολαύσαντος.* In amicitia enim utili beneficia æstimanda sunt ex commodo accipientis. Quantum enim beneficium accipienti profuit, tantum etiam, aut paulò amplius, sicut Hesiodus præcipit, debet rependere.

Æstimatio beneficij permittenda est non accipienti sed danti.

LV. *Monstratis causis corrumpentibus amicitiam*, quæ est inter pares & æquales, & medelâ quoq; ostensâ; sequitur, ut causas everteres amicitiam, quæ inter inæquales, patefaciamus. Dissolvitur ergò Amicitia, quæ est inter inæquales, ubi alter est præstantior, & excellentior, si uterq; postulat plus habere.

Quomodo solvatur amicitia inter impares.

LVI. *Causa verò huius ἀπορροίας* dependet partim à superiore, partim ab inferiore: Nam superior nimis multum sibi deberi statuit propter virtutem & merita sua: Inferior verò existimat suam indigentiam à superiori non satis sublevari. Sicut enim in collationibus pecuniarum plus lucri accipiunt, qui plus contulerunt; Ita superiores plus sibi deberi existimant, propter suam præstantiam: Inferiores verò & pauperiores arbitrantur superiorum esse, supplere ea, quæ egenti desunt; propter utilitatem enim illam amicitiam sectantur.


LVII. *Sed lis hæc ita componi potest*, si eò magis honoretur superior, quò largiùs confert beneficia; Inferior autem eò magis adjuvetur, quò observantior est superioris. Sicut enim honor est præmium virtutis & beneficentiæ: ita pecunia & auxilium est opportunissimum indigentia præsidium.

Quomodo querelis occurrendum.

LVIII. Hoc ipsum in omni benè constituta Repub. observari solet, ut nimirum ille, qui benè de eadem meretur, quovis honore, tanquam communi bono, afficiatur; & contra ille, qui non adjumento est Reipub. nullo quoq; in pretio habetur. Ita etiam in amicitia inæqualium res sese habet.

LIX. Si verò inferior aut indigentior quispiam sit, quàm ut parem gratiam referre possit; laborandum illi erit, ne quicquam in se desiderari patiatur in iis, quæ suarum sunt virium. Superiores verò

Contenti debent esse eo, quod inferiores pro virili tribuunt, si ma-
jora non habeant; sequentes exemplum Deorum & parentum, qui
qualibuscunq; honoribus & obsequiis hominum contenti sunt;
licet nullo modo magnitudini beneficiorum, quæ ipsi illis præsti-
terunt, respondeant. *Amicitia enim nihil ultra vires requirit, sed
quod à nobis præstari potest.* Hac de amicitia ex 8. lib. sufficient.



P R O B L E M A T A.

I. *An Amicitia sit Virtus?*

Pro affirm.

Ratio 1.

2.

3.

Pro Negat.

Ratio 1.

2.

3.

Decisio.

Virtutis titulo amicitiam cohonestari posse, sic probatur. 1. quia
in ea invenitur nimium & parum, & medium intercedens.
2. Amicitia nec est facultas, nec perturbatio. Ergò necesse
est, ut sit habitus. Ratio: quia præter hæc nihil in animo inve-
nitur. 3. *Omnia*, quibus virtus gaudet, amicitia attribui pos-
sunt: habet enim formam mediocritatis, habet item finem: *sed*
contrarium suadet sequentes rationes. 1. quia Philosoph⁹ inter virtutes
non tractavit, sed in finem Ethicorum rejecit. 2. *Virtus* efficit, ut
uno & eodem modo erga omnes nos habeamus: sed amicitia ad
aliquos saltè est adstricta. 3. *Virtutes* perficiunt hominè, vel quoad
partes vel quoad totum eius; Sed amicitia nihil perficit, cum perfe-
ctio haberi possit ex virtutib⁹ supra explicatis. Solutio huius quæ-
stionis ex ipso Philosopho petitur, qui similem virtuti asserit, l. 8.
Eth. c. 1. Et ex Piccol, gr. 7. c. 10. qui fructum uberrimum virtutum
statuit: Imò est affectio, quæ naturam virtutum perpetuò co-
mitatur.

II. *An multiplex sit virtus, an verò unica tantum?*

*Virtutes sunt
plures, & qui-
dam essentiâ
distinctæ.*

Licet virtutes commune genus, quod habitus: communem
formam, quæ mediocritas: communes causas, quæ *ἁπορίας*
continent: communia adjuncta & effecta obtineant; per hæc ta-
men nihil obstat, quin plures sint specie, nec ratione tantum, quod voluerunt
Stoici, sed ipsa essentiâ, cum inter se, tum à prudentia distinctæ. Prudentia
siqui-

siquidem. 1. *habitus* mentis est: virtutes morales appetitus sensuum. 2. *Prudentia* non est perturbationis alicuius moderatio: sunt autem virtutes morales. 3. *Prudentia* versatur propriè in ordinatis destinatis ad finem: Virtus moralis nos erga finem rectè disponit: 4. per *Prudentiam* non denominantur boni vel mali: per virtutes & vitia, dicuntur probi & improbi. *Deinde virtutes morales inter se primò consideratæ* pertinent ad appetitus, alia quidem ad facultatem irascendi, alia ad facultatem concupiscendi. Quæ autem subjectis differunt, re ipsa differunt. 2. *distinctas* perturbationes, iram, odium, timorem tēperant ac moderantur: distinctæ autem naturæ forma distincta. 3. *actiones* proferunt discrepantes: diversarum autem actionum, diversa principia. 4. *In multis*, qui fortes non sunt, temperantia est; qui modesti non sunt, liberalitas; Et quis nescit, fortissimos quosq; esse *γυμναστικῶν ἄνδρας* dorsum mulieribus submittere. 5. Deniq; quæ diversis à principiis oriuntur, eadem minimè esse possunt. Nam agentes iusta dicuntur iusti, fortia fortes, temperata temperantes: neq; enim actiones, quibus temperantia acquiritur, sunt similes actionibus iis, quibus fortitudo aut liberalitas paratur: alioquin temperanter agentes, redderemur fortes, & fortiter agendo, temperanter, quod est contra Aristotelem & contra rationem. Quodlibet enim conjugatum debet respondere suo conjugato, quod hic non fieret. Sed in contrarium sequentes sunt rationes. 1. Cui unum tantum est contrarium, illud unum iudicari debet; At virtutibus moralibus omnibus adversatur una insania: quare non multæ, sed una est virtus. 2. Si virtutes à se invicem specie differunt, una de altera non diceretur, proinde ut homo non dicitur esse leo; Verum non dicitur: Liberalitatem, fortitudinem, temperantiam esse rem iustam. Ergò specie non differunt. 3. Species sub eodem genere positæ non ita sese habent, ut demtâ unâ demandentur aliæ: At moralium virtutum demtâ unâ, omnes evanescent. Ergò non sunt disparatæ species. 4. Si virtutes sunt specie distinctæ, non poterunt simul in eodem servari. Sed consequens est absurdum. Ergò & antecedens. Copulatum in majori probatur: quia species eiusdē generis per oppositas differētias constituuntur, quæ differentiarum oppositio ab Aristotele in *Metaphys.* ad oppositionem contrariam redigitur. Contraria verò (ex eodem subjecto) se mutuò expellunt, nec in eodem subjecto in gradu ex-

Ratio 1.

2.

3.

4.

5.

Rationes contraria.

1.

2.

3.

4.

du ex-

5. du excellenti esse possunt. 5. deniq; unumquodq; per id constituitur, quod est eius forma: At prudentia est forma omnium moralium virtutum: Omnes enim sunt recta ratio agendi, omnes in medio positæ, à prudentia circumscriptæ. Ad 1. igitur respondetur: Virtutibus non propriè adversatur infania, nisi dicatur sapientia & scientia: Et sic erit contrarium communissimum, non proprium ratione generis vel communis principii, non ratione formæ propriæ. 2. Virtuti ut generi uni opponitur vitiorum genus unum: distinctis autem virtutum speciebus opponuntur distinctæ species vitiorum. Ad 2. virtutes dupliciter considerari possunt: vel quatenus communia, quibus iunctæ sunt, vel quatenus propria, quibus distinctæ: Priori cōsideratione omnis virtus est iusticia, & rectè inquit Gregorius: Prudentia vera non est, quæ iusta, temperans & fortis non est: nec perfecta est temperantia, quæ iusta, fortis & prudens non est: nec vera iusticia, quæ prudens, fortis & temperans non est. Ad 3. dico, quod hac ratione artificiosissima saltem illarum copulatio indicetur. Nam ex unius destructione perit altera, non quatenus distinguuntur, sed quatenus communibus ligamentis connexæ sunt pro ultima perfectione. Ad 4. Oppositionem illam differentiarum, non esse veram contrarietatem; sed talem, quæ in distinctis virtutibus servari potest. Ut nempe quædam sint in uno, quædam in alio appetitu, quædam ad honestum temperatæ actionis: aliæ ad honestum actionis liberalis; quædam sint moderationes unius perturbationis; quædam alterius. 2. Virtus non est genus univocum, quod ratione differentiarum oppositarum in varias species distinguatur, sed potius commune ab uno, sub quo varia subordinata sunt, contineantur absq; ulla oppositione. Ad 5. & ult. Prudentia minimè est forma interna proxima, & propria omnium virtutum. Nam e.g. forma propriæ temperantiæ est habitus, quo constanter honestum quærimus in attinentibus ad voluptates, & sic de cæteris. Aliud Prudentia illi habitui medium præscribit, ac proponit, adeò ut prudentiæ officium sit dirigere; officium verò habitus virtutes constanter exequi.

III. Utrinam parentum, Patrinè an Matri plus exhibendum honoris?

Distin-

Distinctione hic utendum est: Si enim inspiciamus *Ius civile*, potestatem in nos habet Pater, non Mater, tit. 11. Instit. de adopt. fam. Unde etiam qui nascuntur, non Matris, sed Patris sequuntur familiam, Leg. 19. digest. de statu hominis: Et Euripides ait: Nemo jactat gloriaturq; quâ matre natus sit, sed quo patre. Si verò ipsam *GENERATIONEM* contemplemur, majorem matri honorem debemus, quæ quasi viscerum suorum partem nobis communicat l. 8. Eth. c. 12. l. 7. ad Eudem. 8. Si *IUS DIVINUM* intueamur, utriq; parenti exhibendus est honor, prout sunt parentes.

IV. Cur detecto capite honorem exhibemus superioribus, senioribus, aliisq; honestis viris?

Plutarchus in probl. dicit id servari: quia honor & gloria sunt splendidum quiddam, illustre, apertum ac latè patens, propterea detegimus caput: Addit Piccol. gr. 8. c. 38. fieri, quia honor est indicium & signum virtutis: Indicamus autem proximè capite, ceu instrumento, & ideò caput detegimus: Insuper nuditas est signum humilitatis: Ideò superam nostram partem detegentes, maximè nos humiles patefacimus, æ ob id etiam caput inclinamus. Nam id facimus corde, quia non est membrum externum, quod patet ex oculis: caput autem conspicuum est.

V. An quotuplex vitium, totuplex etiam sit virtus?

Virtus, ut & vitium, tripliciter sumitur. 1. ut est unum genere. *Virtus τειχῶς sumitur.*
 2. ut est unum per aggregationem & connexionem diversarum specierum.
 3. ut peculiare species ab aliis distinctæ: Virtuti igitur uni secundum modos priores unum etiam opponitur vitium: at non secundum postremum. Sic enim uni virtuti bina opponuntur vitia, quorum unum *ὑπεβολή*, alterum *ἑλλείψις* dicitur. *Objectio.*
Sed contra hæc obijcitur. 1. illud philosophi in Topic. Quot modis unum oppositum dicitur, tot etiam modis dicatur alterum. 1.
 2. Contraria sunt, quorum unum uni tantum opponitur: 2.
 Virtus & vitium sunt contraria; Ergò uni generi unum duntaxat vitium est opponendum: *Responsio.*
 Intelligendum illud esse de æquivocatione duarum contrariorum vocum: si enim una sit ambigua & æquivoca, similiter & altera; non autem de divisione & multiplicatione rerum: seu, verum est, quoad significationem, non quoad significata. Non enim
ad 1o
ad 2o
 C statim,

statim, quot modis subdividitur unum contrarium, tot etiam al-
terum, v. g. Pietatis tantum una species; impietates multæ, Dei
contemptus, apostasia, incredulitas &c. At quis dicet, tot esse ge-
nera, quot species. Item: quot filios, tet patres, cum plurimorum
ad 2. sæpè filiorum idem sit parens. Ad 2. dico: Unum uni tantum con-
trarium est, scil. ἀσάτωσ eodem modounum genus uni generi
est contrarium, uni v. g. plures contrarii generis species quoque
sunt contrariæ.

VI. *An cum alienæ religionis hominibus licitum sit
matrimonia contrahere?*

ARdua hæc & difficilis quæstio ut dissolvatur, *necesse est ut di-*
stinguamus inter matrimonia contracta & contrahenda. Illic
dupliciter religionum invenitur dissensio: *vel si utraq; persona*
prius extiterit fidelis, & una in hæresi prolapsa, alterâ verita-
tem agnitam constanter amplectente; vel si utraq; prius infide-
li, alterutra ad fidem convertatur, qualium plura in Corinthiaca
Ecclesia fuisse connubia c. 7. 1. ad Corin. demonstrat. Unde factum,
ut quæstio illa Paulo moveretur, sintnè istiusmodi matrimonia
solvenda, an rata habenda? quam per distinctionem solvit eor-
um, qui cohabitare consentiunt, & qui dissentiunt. De prioribus
inquit c. 7. §. 12. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc
consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & quæ mulier
fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa,
non dimittat virum. Additâ ratione: quia spes est, infidelem
conversum iri per conversationem cum fideli. De posterioribus ita
loquitur, ut desertionem coniugi fideli dissuadeat; si tamen de-
sertus ab infideli fuerit, eundem liberum pronunciet: quod si
(inquit) infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus
est frater, aut soror in huiusmodi. Porro matrimonium cum infideli
contrahendum simpliciter negamus. Hoc namq; est συζυγῆσ cum in-
fidelibus expressè ac severè prohibitum. 2. Cor. 6. §. 14. Neq; etiam
hic unum semper velle, unum nolle; inprimis ad liberorum ubi
deventum est educationem. Imò & liberi plerunq; aut religionis
evadunt contemptores, aut simulatores, aut hypocritæ; Exempla
quoq; adsunt eorum, qui à conjugali cum infideli societate & af-
finitate abhorruerunt, quales Abrahamus filio suo Isaaco. Gen.
24. Isaacus filio suo Jacobo. Gen. 28. de Chananaeorum filiabus
uxorem accipere nolentes. Obijciunt: Per eiusmodi matrimonium
inten-

Obiectio.

intenditur bonus finis, conversio scilicet infidelis. *Respond.* 1. intentionis huiusmodi eventus est incertus. 2. Accedit periculum, quod subit alter conjux, ne fortè ab infideli coniuge imponi sibi patiatur, uti sapientissimo contigit Salomoni 1. Reg. 11. §. 1.

VII. An virtute morali possimus malè uti?

Dicitur est Philosophi: l. 1. Rhet. Nos omnibus bonis perpèram uti posse, exceptà solà virtute: De hac non immeritò dubitet aliquis: *Primò enim*, si virtute malè uti non possumus, quoniam rectum est de eius ratione, nec habitibus mentis malè uti poterimus, cùm de horum quoq; ratione sit rectum. 2. *Dicitur* l. 2. Ethic. quod quamvis habitus non sint in nostra facultate, actiones tamen semper in ea sint positæ: unde videtur inferendum esse, Hominem virtutis habitu præditum, etiam malè agere posse, & virtute perpèram uti. 3. *Arte etiam* videmur non malè posse uti, cùm artifex quoq; non erret: Quisquis autem peccat, deficiente scientiâ peccat, huiusmodi autem non est artifex. Plato l. 1. de legibus. *Pro resolutione sciendum est*, Rectum esse duplex: alterum ratione operis: alterum ratione usus. *Illud de ratione virtutis mentis est tantum*: de ratione verò virtutum moralium est utrunq;. *Hinc enim definitur virtus moralis*, quòd sit habitus, quo agimus, quomodo & quando oportet: quo possumus, volumus & agimus honesta: quòd sit habitus præeligendi honesta, disponens nos rectè &c. quæ omnia satis arguunt, oblatâ occasione eos virtute sine everfione eius vel non uti, vel malè uti. *In 1. itaq; ratione negatur copulatum*, cum rectitudinis utrobiqu; non eadem sit ratio, quippe habitibus mentis tantum rectitudo ordinata ad proprium scopum vel finem, competit: Virtutibus autem moralibus rectitudinis insuper usus. *Ad 2. quamvis actio semper sit in nostra potestate*, nihilominus si improba sit, evertit moralis habitum: statim enim quando vir justus injustum patrat facinus, vel cum justè debeat agere, non agit, justus esse desinit, & justiciam suam evertit. *Ad 3. non errat quidem artifex, ut artifex in producendo opere, sed ut imperitus artis: errare tamen potest ex eventu, malè utens arte, nec ob id desinit esse artifex, ut homo desinit esse justus, dum patrat aliquod scelus.*

Resp.

Pro affirm.

Rat. 1.

2.

3.

Preparatio ad solutionem.

Responsio

ad 1.

ad 2.

ad 3.

C 2

Ad

Ad Fratrem suum Respondentem!

Dum paucis interpositis, Germane, diebus
Defendes sanctam, Frater, amicitiam!

Quæro iudicium: dic an potius inde
Fertur amor verè: numq̄, probandus erit?

Hoc nego: quærendus, fidi qui nomen Achatis
Obtineat, veræ cultor amicitia;

Id non concedit Bacchus, corrumpit acumen
Iudicij dextri! mens ratio vè gemit!

Dum tibi fraterni quis vitrum moris amicè
Porrigit, en capies vitream amicitiam.

O stulti! stulti! fragili qui credere vitro
Invenère: etenim vitrea corda gerunt.


Daniel Colbergus Zittavi-
viensis Lusatus.

F I N I S,



hc

1017



An
pa

Dn
RO

Dn.

Dn.

E R

2 11

per.



Prudentissimis,
& autoritate

ALTHE:
TAVIEN-
æ, Con-

INDLERO,
lissimo,
DERICO,
clarissimo,
ngulariter

gendum,

HIERO

lbergus Zitta-
usatus,
Respondens,

